


SBÍRKA PRAMENŮV
KU POZNÁNÍ LITERÁRNÍHO ŽIVOTA V ČECHÁCH,
NA MORAVĚ A V SLEZSKU.

SKUPINA II. ČÍSLO 12.

IOANNIS COCINI A COCINETO OPUSCULA

I.

ISAGOGE AD TRES SERMONES CICERONIS DE ORATORE.

EX CODICE MANUSCRIPTO BIBLIOTHECAE ECCLESIAE PIRNENSIS PUBLICI IURIS FECIT ET PRAEFATIONE NOTISQUE INSTRUXIT

DR. RICH. SCHMERTOSCH V. RIESENTHAL.

V PRAZE.
NÁKLADEM ČESKÉ AKADEMIE CÍSAŘE FRANTIŠKA JOSEFA
PRO VĚDY, SLOVESNOST A UMĚNÍ.
1908.

PUBLIKACE

III. TŘÍDY ČESKÉ AKADEMIE POSUD VYDANÉ.

ROZPRAVY.

ROČNÍK I.

Čís. 1.	Dr. *Jan Kvíčala.* Nové kritické a exegetické příspěvky k Vergiliově Aeneidě. . . . . Cena	3 K — h.
» 2.	*Adolf Patera.* Jana Amosa Komenského korrespondence. Cena	3 » 60 »
» 3.	*J. Truhlář.* Počátky humanismu v Čechách. . . . Cena	— » 80 »
» 4.	*Robert Novák,* Grammatická, lexikální a kritická pozorování u Velleja Paterkula. . . . . Cena	1 » 80 »
» 5.	Dr. *Jiří Polívka.* Kronika o Bruncvíkovi v ruské literatuře. . . . . Cena	2 » 80 »

ROČNÍK II.

» 1.	Dr. *V. Mourek.* Syntaxis složených vět v gotštině. Cena	6 » 40 »

ROČNÍK III.

» 1.	Dr. *Jan Kvíčala.* Bádání v oboru skladby jazykův indoevropských. Část I. . . . . Cena	4 » 80 »
» 2.	*Robert Novák.* Mluvnicko-kritická studia k Liviovi. Cena	4 » — »
» 3.	*Vavřinec Josef Dušek.* Hláskosloví nářečí jihočeských. I. Část: Consonantismus. . . . . Cena	1 » — »
» 4.	*Josef Truhlář.* Humanismus a humanisté v Čechách za krále Vladislava II. . . . . Cena	3 » 20 »

ROČNÍK IV.

» 1.	*Ferdinand Menčík.* Příspěvky k dějinám českého divadla. Cena	2 » 60 »

ROČNÍK V.

1.	Dr. *Jan Kvíčala.* Kritické a exegetické příspěvky k Platonovým rozmluvám. I. Faidros, Gorgias. . . . . . Cena	7 » — »

ROČNÍK VI.

» 1.	*Josef Zahradník.* O skladbě veršů v Iliadě a Odyssei. Cena	2 » 80 »
» 2.	*Vavřinec Josef Dušek.* Hláskosloví nářečí jihočeských. II. Část: Vokalismus. . . . . Cena	1 » —
» 3.	Dr. *Jan Kvíčala.* Kritické a exegetické příspěvky k Platonovým rozmluvám. II. Protagoras. Symposion. . . Cena	6 » 40 »
» 4.	*Ignác Hošek.* O poměru jazyka písní národních k místnímu nářečí. . . . . Cena	— » 40 »

ROČNÍK VII.

» 1.	*Jan Loriš.* Rozbor podřečí Hornoostravského ve Slezsku Cena	1 » 50 »

ROČNÍK VIII.

» 1.	*Ignác Hošek.* Nářečí českomoravské. Díl I. Podřečí polenské. Cena	2 » 60 »

ROČNÍK IX.

» 1.	*Vavř. Jos. Dušek.* Kmenosloví nářečí jihočeských. Cena	1 » 50 »
» 20.	*Dr. Václav Vondrák.* Studie z oboru církevněslovanského písemnictví . . . . Cena	3 » 20 »
» 21.	*Ignác Hošek.* Nářečí českomoravské. Díl druhý: Podřečí polnické. I. 1. Mluvnický nástin . . . . Cena	2 » 70 »
» 22.	*Ignác Hošek.* Nářečí českomoravské. Díl druhý: Podřečí polnické. II. 2. Ukázky podřečí . . . . Cena	2 » 70 »

SBÍRKA PRAMENŮV

KU POZNÁNÍ LITERÁRNÍHO ŽIVOTA

V ČECHÁCH, NA MORAVĚ A V SLEZSKU.

VYDÁVÁ

III. TŘIDA ČESKÉ AKADEMIE CÍSAŘE FRANTIŠKA JOSEFA

PRO VĚDY, SLOVESNOST A UMĚNÍ.

SKUPINA DRUHÁ.

ČISLO 12.

JANA KOCÍNA Z KOCINETU SPISKY DROBNÉ.

I.

V PRAZE.

NÁKLADEM ČESKÉ AKADEMIE CÍSAŘE FRANTIŠKA JOSEFA
PRO VĚDY, SLOVESNOST A UMĚNÍ.

1908.

Kocín, Jan

IOANNIS COCINI A COCINETO

OPUSCULA

I.

ISAGOGE AD TRES SERMONES CICERONIS DE ORATORE.

EX CODICE MANUSCRIPTO BIBLIOTHECAE ECCLESIAE PIRNENSIS PUBLICI IURIS FECIT ET PRAEFATIONE NOTISQUE INSTRUXIT

Dr. RICH. SCHMERTOSCH V. RIESENTHAL.

V PRAZE.
NÁKLADEM ČESKÉ AKADEMIE CÍSAŘE FRANTIŠKA JOSEFA
PRO VĚDY, SLOVESNOST A UMĚNÍ
1908.

Tiskl ALOIS WIESNER V PRAZE, knihtiska České Akademie císaře Františka Josefa pro vědy, slovesnost a umění. — Papír ze skladu České společnosti pro obchod a průmysl papírnický G. Wiesner Duffek a spol. v Praze.

Praefatio editoris.

Cum ante hos sex annos libros bibliothecae ecclesiae Pirnensis in ordinem redigerem, incidi forte fortuna in eum libellum Ioannis Cocini a Cocineto, qui ‚Prolusio Scholastica Politicae Exercitationis' inscribitur.[1]) Huic exemplari annexa est uno eodemque volumine tractatio quaedam eiusdem auctoris non prelo, ut ita dicam, commissa, sed manu scripta. Cuius codicis de origine cum bibliothecas et Saxoniae et Bohemiae frustra perscrutarer, benigne me certiorem fecit Antonius Truhlář, vir librorum Cocini cum Bohemica tum Latina lingua scriptorum peritissimus[2]), eum ne Pragae quidem esse notum. Itaque eum in lucem edere iam tum mihi operae pretium esse videbatur.

Inest in hoc codice Pirnensi tractatio haud dubie memoria digna, in qua profertur ab auctore ‚Isagoge' quaedam ad tres sermones Ciceronis ‚De Oratore', eaque dedicatur eodem anno, quo ‚Prolusio' illa Cocinea in lucem prodiit (anno MDLXXVIII.), nobilissimo viro Bohemico, Carolo a Waldstein, qui tum erat Pragae consilii provocationum assessor et paulo post Caesareae Maiestatis consiliarius.[3]) Edidit hanc ‚Isagogen' Cocinus, cum studiis litterarum et in Germania et in Italia perfunctus Pragam rediisset, in suo, ut in ipso prooemio dicit, inquilinatu Pragensi die XX. Augusti mensis eiusdem anni. Quattuor mensibus ante iam suam ‚Prolusionem' miserat ad potentissimum tum in Bohemia virum Guilelmum Rosenbergium ‚supremum Pragensem burggravium', cui iam septem ante annis Argentorati ex scholis Ioannis Sturmii praeceptoris sui Hermogenis ‚De dicendi generibus sive formis orationum' libros dono dederat.[4]) Etiam tum ei opus erat viris vere Maecenatibus et paratis ad ipsum iuvandum

[1]) De hoc libello, qui nostris temporibus in bibliothecis rarissime invenitur, confer Hanslik, Geschichte u. Beschreibung d. Prag. Universitätsbibl. 1851, p. 560.

[2]) Cf. České museum filologické IV., 469 sq. et Ottův Naučný Slovník V., 14, 478.

[3]) ‚Illustris et generosus Carolus Baro a Waldstein in Poličan S. C. M. Consiliarius' animam efflavit Pragae 18. die Mai a. 1604. Mitt. d. Ver. f. d. Gesch. d. Deutschen i. Böhmen XI., p. 254.

[4]) Cf. Truhlář, Č. m. f. l. c., p. 463.

opera et consilio, quia ,exhausto, quod semper valde exiguum fuerat, patrimonio' omnibus fere rebus ad vitam necessariis egebat.[1])

Quis vero fuit ille Carolus Waldsteinius, cui Cocinus dedicavit ,Isagogen'? Oriundus erat ex illustrissima gente Waldsteinia, cuius fama posteriore saeculo ab Alberto, fratris filio Caroli, prolata per totam fere Europam increbruit.[2]) A Georgio patre adulescentulus missus est Carolus, qui anno MDIL. natus erat,[3]) ut iuris prudentiae et humaniorum studiorum peritus fieret, in academias celeberrimas et Germaniae et Galliae et Italiae. Viginti annos natus versabatur Vitembergae[4]), ubi tum multi proceres Bohemiae litterarum fructus percipere solebant; in Italia haud scio an cum Cocino sex annis natu maiore congressus sit. Quo factum esse potest, ut cum eo familiaritate quadam coniunctus fuerit. Tum in patriam reversus anno MDLXXVII. Pragae assessoribus consilii provocationum, quod undeviginti annis ante Ferdinandus rex constituerat, aggregatus est.[5]) Cum paulo post Cocinus quoque Pragam redisset, Carolus Waldsteinius hoc aliisque viris doctis tam familiariter utebatur, ut Cocinus colloquio quodam permotus illam ,Isagogen' cum ,Prolusione' coniunctam ad eum mitteret. Idem libellus, quo utraque Cocini tractatio continetur, non dubito, quin insequenti saeculo ab exulibus, ut aiunt, Bohemicis Pirnam translatus in ecclesiastica huius oppiduli bibliotheca usque ad nostros dies pervenerit.

Quae vero fuerit causa scribendae huius ,Isagoges', ex ipsius scriptoris verbis, quae infra ad verbum expressa sequuntur, discetis; equidem iam alio loco, quid Cocinus de illis Ciceronis sermonibus senserit, consideravi et adumbravi.[6]) Hoc loco mihi satis erit dixisse textus errata manifesta, quamquam neglegentiam quandam scribendi, cuius Cocinus, exercitationum suarum quasdam nugas ex scriniis raptim repetens, ipse auctor fuerit, perpolire anxie abstinui, tamen me correxisse et emendasse, Ciceronis ipsius verbis cum codicis verbis collatis eisque, quae variata sunt, sub textu positis. Nec vero dubitavi scripturam verborum limare, consonanti littera v pro u vel i pro j in textu scriptis, atque abbreviationes sexto decimo saeculo usitatissimas, quibus usus est codicis scriba, in pleniores verborum formas mutare: vicissim interpunctionem, quantum potui sine offensione sensus, retinui.

---

[1]) Cf. Praefationem ,Prolusionis', fol. IIIb.

[2]) De familia Waldsteinia, quae tum dicioni Arnoviensi praeerat, cf. Leeder, Mitt. d. Ver. f. d. Gesch. d. Deutschen in Böhm. XI., p. 246 sq. et XII. 43 sq.

[3]) Cf. Danieli Adami z Weleslawina Kalendář historický: 25. srpn. 1549: P. Karel z Waldssteině syn P. Girzího z Waldssteina pokřtěn na Hostinném.

[4]) Cf. Förstemann, Album Academiae Vitembergensis: Inscriptus est Vitembergae sub 10. Juli 1569: D. Carolus a Vualstein in Arnaw et Mellethyn Bohemus.

[5]) Cf. Freih. v. Hess, Monographie des k. k. böhm. Appellationsgerichts sub n. 42. et E. Ott, Beiträge zur Receptions-Geschichte des römisch-kanonischen Processes in den böhmischen Ländern' p. 248.

[6]) Neue Jahrbücher f. d. klass. Altert. etc. 1908 XXII., p. 111 sq.

Generoso et literato Baroni D. Carolo a Waldsteyn etc. in Consilio provocationum Assessori D. et patrono suo Ioannes Cocinus S. D.

Cum hisce diebus valetudinis causa me continerem in hospitio, studiis tamen, quemadmodum convenit, ingenium intendere non possem, tum quod corpus non bene esset affectum, tum quod animus ob praesentem rerum mearum valde dubium statum in diversas raperetur partes, coepi iucunditatem quaerere partim ex libris in aliquem ordinem redigendis partim ex scriniis excutiendis, in quibus amicorum literas mearumve exercitationum quasdam nugas asservavi. Ibi tum forte fortuna incidi in adversaria, in quibus unius et alterius libri Ciceronis de Oratore ad Q. fratrem quasi rudi Minerva argumentum delineavi.

Illa postquam percurri obiter, illico, Carole Baro, venit mihi in mentem illius sermonis, quem, si non erro, ante menses tres de hisce libris habebamus, cum etiam una accubuisset noster Matthaeus Tulechovius Iuris et legum consultus.[1]) Dicebas enim te valde delectari lectione Ciceroneanorum librorum, in primis tamen eorum, quibus ille disciplinam bene dicendi est complexus, quotiescunque a litigiosis istis occupationibus, quae in vestro consilio agitantur, tibi vel minimum otii conceditur. Neque iniuria id facis: qui enim Eloquentiae verae, is certe verae prudentiae dat operam, tametsi nunc iterum scholas invasit illud cordis et oris dissidium, ut alios habeamus Doctores prudenter consulendi, alios etiam Magistros bene dicendi. Atqui Phoenix apud Homerum a patre Peleo datus fuit Achilli, ut eum doceret prudenter dicere et bene agere, quemadmodum et Ulisses utrumque praestare potuit. Inter alia quaerebas etiam ex me, quosnam eorum tibi et hac praesertim aetate ad legendum putarem esse maxime idoneos. Ego omnes, qui ab ipso Cicerone scripti sunt et quidem sene iamque Reipublicae muneribus perfuncto, utilissimos esse legentibus respondi — quis enim tantam doctrinam tantumque usum habere potuit sive in bene dicendo sive in prudenter consulendo? — sed tamen homini politico et, qui ad Rempublicam accedere cogitat, non modo utiles, verum etiam necessarios esse tres sermones, quos ille ad Q. fratrem Academico more scripserat, siquidem in his doceantur non tam praecepta, quae tu in pueritia didicisti, quam potius horum demonstretur usus, quod unum requirebas. Ac quae tum, eadem nunc quoque mea est sententia neque dicere erubesco hosce libros anteferendos esse omnibus, quotquot de arte dicendi sive Graecorum sive Latinorum ex scholis prodierunt. Etiam

[1]) Matthaeus Gregorius a Tulechova in Germania (Vitembergae anno 1557), in Gallia, in Italia ad literarum studium se contulerat. ‚Iurisprudentiae doctor' factus et in patriam reversus primum Igloviae, deinde in vetere urbe Pragensi cancellarii munere functus est. Mortuus est a. 1589. Cf. Kalina v. Jäthenstein, Abh. d. h. böhm. Ges. d. Wissensch. VI., 82 et Ott, Beiträge etc., p. 240.

et veritatis investigatione plus momenti habeat, QUID scripserit quam QUIS scripserit, quorum hoc authoris, illud autem materiae vel, ut loquuntur in scholis, subiecti index est, tamen etiam a nominibus artificum opera commendationem solent accipere. Itaque author horum librorum est, ut breviter dicam, doctissimorum tum temporis Romanorum civium eloquentissimus et eloquentium doctissimus Marcus Cicero, quos demum senex scripsit perfunctus nimirum in florentissima civitate omnibus honoribus diuque eos, antequam prodierunt in lucem, in manibus habuit, quemadmodum ipse confitetur Attico in Epistularum libro IV., cuius initium est: Occupationum mearum etc.[1]) et in Epistularum libro XIII., cuius initium est: Commodum discesserat,[2]) ex quibus locis facile animadvertes, quanto studio quantave diligentia hos libros scripserit, ut necessarium non sit me multis verbis hac de re disserere. Profecto sunt magnificentissime et elegantissime scripti. Et quemadmodum Phidias in sculpendo Iove Olympiaco universam artem fertur expressisse, ita noster Cicero, quicquid habuit doctrinae, eloquentiae, comitatis, usus et experientiae civilis atque forensis, id totum in hosce tres sermones de Oratore contulit. Apud Graecos tritum erat sermone proverbium: Iovem si Graece illi dicendum esset, non alio quam Platonis sermone usurum, atqui si magna cum maioribus comparare licet, verius dicerem: Iovem, si cum aliquo de rebus gravissimis more Peripateticorum in utramque partem disserere vellet, hos tres Ciceronis dialogos imitaturum, quando fuit maiestas maior civium Romanorum cum verbis tum in factis quam Graecorum Atheniensium, qui bene dicere tantum, sed male iudicare, peius autem facere solebant. Quamobrem, si quid esset in me, author et hortator vellem esse omnibus, qui vel in scholis recte docere vel in Republica cum fructu atque dignitate versari volunt, ut istos Ciceronis nostri sermones nocturna diurnaque manu evolvant. Nec scio aliquem poenituisse, quod in his aliquid laboris, operae, studii vel mediocriter posuerit. Explicatur autem in eis, ne ignores, quid sub voce Oratoris contineatur, quidquid viri omnium eloquentissimi clarissimique senserint de universa bene dicendi disciplina, Q. Mucius Scaevola, L. Crassus, M. Antonius et Iulius Caesar. Nam inscripsit eos de Oratore, quia de vi seu facultate, de officio, de natura eius hic instituitur disquisitio. Scripti et evulgati sunt potissimum in gratiam Q. Ciceronis, qui hoc unice a M. fratre contendebat, siquidem ab eo de hac materia nihil eiusmodi fuerat editum praeter commentarios quosdam eosque inchoatos tantum, non perfectos et, qui Ciceroni adolescentulo vel puero magis exciderunt quam ab eo sunt scripti, idcirco plane indigni maturiore aetate et isto rerum usu, quem in gerenda Republica et ex tot tantisque forensibus disputationibus fuerat consecutus. Quia vero Quintus Cicero in disputationibus

[1]) Cic. Epistul. ad Attic. IV., 16, 3.
[2]) Ibid. XIII., 19, 4.

privatis de arte dicendi interdum a M. fratre dissentiebat, propterea quod hic eloquentiam hominum eruditissimorum artibus et disciplinis contineri statuebat, ille autem ab elegantia doctrinae segregandam putabat et in quodam ingenii atque exercitationis genere ponendam: ideo non aliter quam sermonibus vel dialogis tribus Academico more conscriptis illa materia commode pertractari et explicari posse videbatur. Genus enim orationis et sermonum, ut est scriptum in principio Laelii[1]), positum in hominum veterum authoritate plus nescio quomodo videtur habere gravitatis. Et quidem datur ex dialogis venia, ut ita locuti esse videantur homines. Fieri tamen potest, quod haec disputatio revera[2]) fuit habita inter L. Crassum et M. Antonium, et argumentum eius Ciceronem accepisse a Cotta et Sulpicio auditoribus. Porro tres isti sermones biduo sunt habiti, quorum primus post meridiem est habitus, magna ex parte consumitur in definitione Oratoris, ubi L. Crassus Marci et M. Antonius Quinti sententiam defendit.

Q. Mucius Scaevola Crassi socer est sermonis cum author tum moderator. Sulpicius et Cotta adolescentes attribuuntur auditores atque discipuli tribus illis praestantissimis in arte dicendi magistris, qui materiam disputationis accepisse videntur ex Carneade, Clitomacho, Phaedro et Gorgia Graecorum Rhetoricae magistris. Hoc pomeridiano sermone perfecto Q. Mucius in Tusculanum ad Laelium discedit: cuius rei ipse M. Cicero causam reddit in Epistularum ad T. Pomponium Atticum Libro IIII.[3]), hac ipsa tamen vespera Scaevolam convenit Iulius Caesar, et ex eo summam totius disputationis habitae cognovit, itaque fratrem Catulum exoravit, ut postridie mane secum exiret in Tusculanum[4]) L. Crassi audiendi alterius sermonis gratia, in quo M. Antonius praecepta Inventionis, Collocationis et Memoriae longe aptius ad usum forensem accommodat, quam fuerant unquam a Graecis dicendi magistris expositae. Fuit enim hic Antonius homo subtilis et acutus in inveniendis et prudens in collocandis argumentis; memoria autem fuit tanta, ut imparatus semper ad dicendum accedere putaretur, cum tamen paratissimus venire solebat. Sed quia ad iocos et sales, qui in conciliandis auditorum animis multum possunt, ingenium non ita habebat accommodatum, ideo hanc reiicit in Iulium Caesarem hominem suo tempore ita facetum, ut illo nemo unquam urbanitate, nemo lepore, nemo suavitate conditior inveniretur.

Est autem Antonius in hoc libro imitatus tres libros Rhetoricorum Aristotelis, ex quibus multa verbum, quod aiunt, de verbo transcripsit,

[1]) Scripturi supplevi. Cf. Cic. Lael. I, 4.

[2]) ‚Revera' scripsi, ‚N' signum in codice.

[3]) Cic. Epist. ad Attic. IV., 16, 3: Credo Platonem vix putasse satis consonum fore, si hominem id aetatis in tam longo sermone diutius retinuisset. Multo ego magis hoc mihi cavendum putavi in Scaevola, qui et aetate et valetudine erat ea, qua esse meministi, et iis honoribus, ut vix satis decorum videretur eum plures dies esse in Crassi Tusculano.

[4]) Cod. Thusculanum.

tametsi id omnibus modis dissimulet et scientiam Graecae linguae artificiosius tegere atque occultare conetur. Tertius denique sermo pomeridianam disputationem Crassi continet de Elocutione atque Pronuntiatione ex doctrina partim Aristotelis partim Isocratis petitam; sed tamen propter authoritatem personae Crassi multa ibi et quidem priore loco ad commendationem Eloquentiae adhibentur.

Habes, Carole, aditum patefactum et ianuam apertam ad Ciceronis sermones de Oratore, ita ut, mediocri[1]) saltem adhibita diligentia in privato studio, magno cum fructu eosdem legere possis, si tantum est tibi otii a Bartholo, a Baldo, a Iasone, ab ipso denique Iustiniano, ut etiam huic in arte dicendi magistro praestantissimo aurem interdum admoveas. Sed quoniam partes doctoris mihi sumpsi,[2]) licet id abs te mihi non sit iniunctum, et quia tu, sive ioco sive serio id fiat, nomine praeceptoris me apud amicos dignari interdum videris, paterere, quaeso, ut paululum abutar tua patientia et, quod quasi in pugnum contraxi, id vicissim tibi in manus diductae et expansae quibusdam lineamentis ostendam. Ducam enim te per singulos horum sermonum libros et in eis quasi Thesei filum, methodum et ordinem, tum omnia disputationis capita tibi conabor non explicare, sed saltem indicare et enumerare, ut parvo licet conatu, magno tamen successu ex illo labyrintho sive difficultatis sive obscuritatis evadas, quam plurimi putant in his libris, et propterea eos a scholis atque Academiis procul relegant. Hoc si praestitero, habebis id omne scripto comprehensum et quasi in tabella ob oculos positum in paucarum horarum spatio ad cognoscendum, quod una voce, quemadmodum quondam petiisse videbaris, in multis mensibus non efficerem. Quodsi, postquam perlegeris, animadvertes longe plus promptae voluntatis mihi adfuisse in promittendo quam facultatis in perficienda re tam magna et tam praeclara, praesertim cum libros iamdudum in manibus non habuerim et in hac summa rerum mearum perturbatione atque difficultate animus quodammodo a studiis videatur esse alienatus, erit tuae comitatis, hanc sive audaciam sive temeritatem in bonam accipere partem meamque sive negligentiam sive tenuitatem ita incusare, ut nihilominus etiam in me, quomodo in aliis, id habere possit locum:

Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.

Sed iam ad primum sermonem accedamus, ut quoad fieri possit, singula disputationis capita eorumque ordinem accuratius cognoscamus.

Primi Libri Ciceronis de Oratore ad Q. fratrem argumentum vel potius Hypothesis.

Tres sunt partes universae huius disputationis de ratione bene dicendi et in quovis libro considerandae: exordium, in quo Cicero causam

[1]) Cod. mediocre.
[2]) Cod. sumsi.

reddit scriptionis, tum eius argumentum recitat, post personas constituit, deinde ἀπόδειξις , id est contentio aut sermones Academici clarissimorum civium Romanorum de universa bene dicendi ratione et disciplina, ad extremum conclusio, in qua est personarum ex acerrima contentione amica discessio.

Postquam igitur author noster in exordio huius libri causas scriptionis indicavit recitavitque disputationis futurae argumentum et magnitudinem Eloquentiae indicauit, tum fingit, quomodo L. Crassus exit urbe cum socero Scaevola et eiusdem in Republica socio M. Antonio, quos etiam duo comitabantur[1]) adolescentes Cotta et Sulpicius, quando M. Philippus consul cum Livio Druso tribuno plebis dissidebat, ut nimirum diebus ludorum[2]) Romanorum, quo tempore otium a Republica concedebatur, sese aliquamdiu in Tusculano[3]) recrearent. Ubi postquam sub platano consedissent in umbra, quia sol erat adhuc propemodum in meridiano, urgente id Scaevola podagrico, paulo post Crassus sermonem quendam de studio dicendi iniecit sumpto eius initio ab Eloquentiae amplissima et splendidissima commendatione, quasi haec civitates condidisset: omnium disciplinarum esse reginam, siquidem sua facultate omnes disciplinas complectatur. Hoc cum ita sit, perfecti oratoris moderatione et sapientia totius Reipublicae salutem contineri, posteaquam hic solus de omnibus rebus scienter et ornate potest dicere: solus dicendo tenere hominum coetus: solus populi iudicium et senatus convertere mentem oratione, et hac dare afflictis salutem, dispersos homines in unum congregare et ad humanitatem instituere. Verum eiusmodi commendatio, quia profecta videbatur magis ex affectu animi Crassi erga Eloquentiam quam ex rei veritate, cuius cancellos longe esset transgressa, ideo Q. Scaevola illi contradicit, in omnibus prope partibus secutus opinionem Carneadis, Clitomachi, Aeschinis, Metrodori[4]) et his similium Philosophorum, ostenditque ex effectibus atque adiunctis Eloquentiam non esse causam civilis societatis neque reliquas disciplinas, quarum authores enumerat et vim atque officium explicat, sub se complecti. Huic reprehensioni vicissim Crassus respondet valde copiose, ita tamen argute atque subtiliter, ut, iudicio ipsius Scaevolae, et ea confiteatur[5]) pro veris, quae hic Oratori detrahebat, et rursum haec ipsa mira disputandi ratione in partem alteram retorquet eaque Oratori tradit velut propria neque aliunde mutuo accepta.

Etsi enim distinguit scientiam aliarum artium ab Eloquentia, siquidem discriminatae, non confusae inter se sint artes certis limitibus: tamen

---

[1]) Cod. committabantur.

[2]) Haud dubie ex textu Ciceroneano verba supplenda sunt: *diebus ludorum*. Cf. de orat. I., 7, 24.

[3]) Cod. in Thusculano.

[4]) Cod. Metrodorii.

[5]) Cod. confiteretur.

earum usum Oratori bono adeo esse necessarium demonstrat, ut sine illis officium facere non possit.

Tum Antonius tanquam arbiter aut Vergilianus Palaemon sese interponit et sententiam utriusque nec omnino approbat nec vicissim omnino improbat; ita tamen eos conciliat, quod Crassus de perfecto Oratore, Scaevola autem de forensi recte dixerit: quamobrem illius eloquentem, huius autem disertum nominat.

Hinc accepta occasione Cotta et Sulpicius adolescentes rogant tum Crassum tum Antonium, ut, quae sentiant[1]) de universo genere dicendi, accurate et diligenter omnia persequantur, quorum precibus victus L. Crassus, tametsi valde diu, idque propter decorum personarum factum est, fuisset reluctatus, ad investigationem causarum perfectae Eloquentiae accedit: tresque tantum, sed principes, quemadmodum in aliis facultatibus atque disciplinis, esse ostendit: Naturam, Artem atque Exercitationem: eaque ratione fit progressus a generali definitione Oratoris ad generales causas sive Oratoris sive Eloquentiae.

A natura deinceps producit Inventionem, Collocationem, Elocutionem et Memoriam. Cum enim natura vel facultas Oratoris in duabus potissimum consideretur rebus: in animo nimirum et corpore: ab illo accipit acumen in inveniendo, acumen in collocando, ubertatem in explicando, constantiam atque diuturnitatem in retinendo atque recordando, ab hoc autem provenit linguae solutio atque volubilitas, vocis sonus, laterum vires, conformatio quaedam et figura totius corporis, quae omnia, tametsi ab arte adiuvantur plurimum, ut vel, quae bona sunt, amplificentur vel, quae vitiosa, corrigantur, tamen non proficiscuntur ab arte, sed ab ipsa natura cuique homini donantur. Sed fiunt ista elegantiora, si in Oratore est pudor ingenuus et verecundia liberalis: quo enim melior est Orator, eo magis verecundior: quo autem indoctior, eo impudentior. Quam sententiam approbat Antonius, quemadmodum et superiorem de naturalibus animi dotibus. Verum cum bonitate naturae semper coniungitur studium vel ardor amoris, imo ex hoc maxime ingenii bonitas atque docilitas deprehenditur, itaque sine studio nihil egregii in vita comparari potest. Et, quia cupiditas discendi non multum prodest, nisi idoneum habeas magistrum, propterea L. Crassus artem et illa, quia in scholis Rhetorum tradebantur, praecepta quam brevissime percurrit, neque enim conveniebat civi Romano et viro consulari diu immorari in istis Eloquentiae velut unguiculis. Praecepta autem illa licet numerosa atque copiosa non sint, tamen ad tria generalia possint reduci capita: ad oratoris definitionem, vim eiusdem et orationem. Verum et praecepta nihil prosunt, nisi exercitatio atque usus suscipiatur, quae vel domi intra parietinas et quasi in umbra vel in foro et quasi in pulvere atque sub sole peragitur. Domi enim adolescentes exerceri debent declamando; at declamationem

[1]) Cod. sentirent.

antecedit stylus tum meditatus tum subitus sequiturque memoria tum suorum tum alienorum scriptorum; oportet ergo, ut accedat lectio poetarum, historicorum, cognitio bonarum artium et in primis Politiae atque Iuris civilis, quae omnia confirmanda sunt Academicis disputationibus. Ad hunc modum, si quis domi et in scholis Rhetorum sese exercuerit, demum ex ista umbratili palaestra progredi potest in verum quasi militiae campum, hoc est in forum, in comitia et in senatum. Haec tanta adeo celeritate percurrit Crassus, ut Cotta et Sulpicius[1]) cursum orationis saltem aspexerint, vestigium vero nullum viderint. Quos cum in silentio multum vidisset attonitos Scaevola, ipsis author est, ut rogando extorqueant a L. Crasso uberiorem horum omnium explicationem, quod ubi fecissent, suas etiam preces adiungit monetque generum, ut in hac re morem gerat adolescentibus adeo cupidis discendi. Victus eiusmodi precibus L. Crasso obtemperat quidem, sed quadam in parte dumtaxat. Nam de natura et arte, quae illis est imitatrix, nihil amplius disserit, tanquam iocularis et idcirco minus digna Scaevolae praesentia de praeceptionibus puerilibus disceptatio: imo ex tam numerosis privatae exercitationis partibus solam Iuris civilis scientiam in manus sumit eamque magnifice tum commendat tum amplificat, quod tamen magis ob Scaevolae praesentiam quam propter adolescentulorum utilitatem fecit Crassus, siquidem isto tempore is erat eloquentium iuris peritissimus et iuris peritorum eloquentissimus, cuius rei et hoc est indicium, quod ad hanc partem orationis Crassinae nihil addit, sed tantum, ut retineat gravitatem Romanam, ad ista, de quibus Crassus disseruit, serio cognoscenda graviter cohortatur adolescentes. Cum autem isti praeceptorum quoque longiorem explicationem flagitent[2]), ut, quo minus valeant[3]) ingenio, eo maiore diligentia subsidium ab arte, quae est regula prudentiae, sibi possint comparare; tum Crassus id laboris suscipere plane non vult, quasi ista disceptatio sit valde insolens suis studiis, sed id oneris imponit M. Antonio, qui praeceptorum artis dicendi, quae in scholis Rhetorum tradebantur, ita erat peritissimus, sicut imperitiae atque omnium artium, maxime Graecarum literarum, ignorantiae simulator artificiosissimus. Verum hic, ut pro imposito onere aliquam mercedem redderet Crasso, praeterita prorsus disputatione de praeceptis bene dicendi — id, quod unicum magno desiderio expectabant adolescentes — ad refutationem Crassini Oratoris adhibita in disputando festina illa ironia Socratica suam convertit orationem. Cuius initium sumpsit a prima methodi quaestione, per quam vestigatur uniuscuiusque rei definitio, de qua suscipitur disceptatio. Sed in definiendo Oratore cum Menedemo et Scaevola convenit accusans supra positam definitionem Crassi, quasi propter redundantiam sit vitiosa,

[1]) ‚et Sulpicius' et sequenti enuntiato ‚Scaevola' supplevi ex Cic. libr. de or. I., 35, 160 sq.

[2]) Cod. valent.

[3]) Cod. flagitarent.

quoniam sub facultate Eloquentiae neque scientia politica neque philosophia neque ius civile neque historia et antiquitatis cognitio continetur. Et quanto maiore contentione Crassum exagitavit Antonius, tanto cum maiore voluptate auditorum, inprimis Scaevolae, hanc disputationem Academicam peroravit; et quo gravior fuit illius exagitator, eo praestantior visus est esse Orator. Haec dissensio est eo referenda, quod L. Crassus Marci Ciceronis de perfecto et vere eloquente Oratore, M. autem Antonius Quinti fratris de mediocri et diserto defendebat sententiam.

Libri secundi de Oratore brevis Epitome.

Absoluta disputatione Academica de facultate Oratoris Scaevola ex Tusculano Crassi discessit in Tusculanum Laelii soceri sui. Sed in huius diei crepusculo ipsum convenerat ibidem Julius Caesar cum fratre Catulo; et summam disputationis tum praeteritae tum futurae cognovit. Mane igitur uterque in Tusculanum Crassi venit Antonii audiendi gratia: et Iulius post mutuam salutationem disputationem hesternam coram L. Crasso splendidis magnificisque verbis commendat, hic autem propter retinendam gravitatem eandem contemnebat vehementer sibique videbatur irasci, propterea quod nunquam magis fuerit ineptus, quando senem se esse non meminerit, morem gerere volens adolescentibus. Hac de re, ultro citroque commutatis verbis, Antonio ad disputandum viam sternebant, ne familiaribus sermonibus tempus tribueretur, quod seriae disputationi de praeceptis Eloquentiae fuerat constitutum, praesertim cum Cotta et Sulpicius summo desiderio illius audiendae tenerentur. Antonius igitur, tanquam non immemor promissi, dicendi initium accipit a quaestione in Graecorum scholis atque libris diu multumque agitata: An aliqua sit ars in dicendo, quam deinceps, ut supra etiam fecerat, acuta distinctione duarum descriptionum artis decidit. Et quemadmodum Crassus superiorem sermonem exorsus fuit a magnificis Eloquentiae laudibus, ita Antonius, explicata superiore quaestione, ad eandem digreditur materiam: fere omne usu solet esse comparatum, ut, quam quis artem profiteri constituit, ab eiusdem commendatione docendi initium faciat. Sed Antonio hoc fuit faciendum propter novos auditores Iulium Caesarem ipsiusque fratrem Catulum, in qua sive laude sive commendatione Eloquentiae plane cum Crasso idem sentit; heri tamen contra hunc disputasse tantum Academice aperte confitetur, nunc autem sibi fuisse videndum non tam, quod pugnet contra ipsum, quam, ut serio dicat, quid hac de re ipse sentiat. Et quoniam praecepta artis in proprio subiecto commodissime explicari solent, ideo prius in genere quaedam de materia Oratoris disserit quam ad explicationem praeceptorum artis dicendi accedit. Oratoris materiam in lite atque consultatione potissimum versari docet: et a magistris dicendi duobus generibus controversiarum Iudiciali atque Deliberativo explicari, quae etiam agnoscit ipse, tertium autem, quod versatur in laudationibus, reiicit, sed tantum ab institutione Rhetorica, posteaquam ex

superioribus praecepta eius facile possunt intelligi, non tamen ab Oratoris tractatione, siquidem eo in conciliando iudice interdum necessario uti cogitur. Eadem quoque ratione elevat trita illa et quasi omnium ore pervulgata Graecorum praecepta, divisionem quaestionis in Finitam et Infinitam: item, quae ab iisdem de partibus orationum earumque munere sunt tradita, quo in loco multa etiam de historia deque scriptoribus historiae disserit. Cum ad eam rem quadam interpellatione causam praebuisset Catulo, disputationi de materia Oratoris statim subiungit aliam, nimirum de natura eiusdem et ingenio, quia in his ponendum est Eloquentiae fundamentum, in quo summum et praeclarum illius aedificium ars et exercitatio perficere debeat.

At repugnante natura et ubi est sterile ingenium, ibi praecepta artis fere nihil efficiunt: industria autem humana admodum praestat exiguum, si durum videtur, omnino nihil utrique attribuere. Naturam itaque flagitat excellentissimam, sub qua complectitur egregias dotes, tum ad agendum necessarias — quae ut perficiantur, modum Oratoris instituendi praescribit — tum ad eloquendum, ut statim a pueritia optimos quosque authores sibi proponat imitandos, quos tum loquendo tum scribendo sequatur: deinceps autem ipsum ex pulvere et umbra in aciem atque solem producit, ut causas primo diligenter cognitas a reo accipiat, tum easdem meditetur diu multumque, ad extremum vero cum dignitate agat. Et qua ratione causam cognoscere vel potius expiscari debeat a reo, suo indicat exemplo. Ubi notat triplicem offensionem Oratorum, qui non bene percepta cognitaque causa ad tribunal iudicis accedunt: negligentiam, perfidiam, tarditatem.

Meditationem causae ita instituendam, ut summa animi aequitate tres personas sustineat, suam cum reo, adversarii et iudicis. Et quia in meditatione necessaria est cognitio status, causae et quaestionis generum, propterea in partitionem statuum, an sit, quid sit, quale sit factum, digreditur et de his tradita a Rhetoribus praecepta, tamquam Aristarchus ex officina Peripateticorum profectus, accurate examinat, istosque dicendi magistros propter imperitiam definiendi atque dividendi graviter reprehendit. Inde ad inventionis doctrinam progreditur. Etenim statim, atque causae controversia vel ambiguum cognoscitur, cogitandum est Oratori, QUID, tum, QUOMODO dicere velit. Haec autem pars commentationis vel meditationis suppeditat argumenta tum ad probandum, quod nos intendimus, tum ad id refellendum, quod propositum est ab adversariis. Cuius doctrinae primam eamque generalem divisionem producit ex officio Oratoris. Nam ut huius munus vertitur in docendis, conciliandis, permovendisque auditorum animis, quorum primum acumen, alterum lenitatem, postremum autem vim desiderat: ita omnis argumentorum inventio dividitur in fidem, delectationem et motum. Naturam argumentorum, quae diriguntur ad fidem, vel ut auditorem doceant, partiendo explicat, dum ex Aristotelis doctrina ea dividit in artificiosa et artis ex-

pertia. Sed priusquam hanc divisionem ulterius persequitur, universam hanc disputationem de praeceptis Rhetoricis ita partitur cum Crasso, ut hic illud, QUO MODO dicendum sit, explicet: idque fiet in ultimo primum libro: ipse autem in hoc, QUID sit dicendum, persequatur. Itaque M. Antonius hac antemeridiana disputatione proponit sibi explicandam: Inventionem, Collocationem et Memoriam. Elocutionem autem et Actionem Crasso ad pomeridianum sermonem relinquit. Itaque Antonius oratorem, quem fingit, instituet et alet. Sed Crassus eundem vestiet atque ornabit. Hic autem ob retinendum decorum in sua persona istam muneris partitionem non vult habere ratam eiusque iniquitatem elegante et huic loco admodum conveniente allegoria demonstrare nititur: quod nimirum neque boni neque liberalis patris sit, quem procrearit et eduxerit, eundem vestire atque ornare nolle, praesertim cum se satis locupletem non possit negare. Sed tamen assentitur deinceps, quando Antonium cohortatur, is ut propositae divisionis priorem exponat partem, vel ut depromat, quod tractat saepissime semperque divinitus. Antonius Crasso assentitur liberaliter, accedens ad primam speciem inventionis, quae est fidei, polliceturque generalem doctrinam locorum reiecta doctrina specialis investigationis, quam Rhetores tradunt, tum in statuum partitionibus tum in causarum generibus. Antequam autem locos enumerat, digreditur ad materiam quaestionis Rhetoricae repetitque praeceptum meditationis de constituendo genere controversiae et statu causae, siquidem ad haec duo referenda sunt omnia orationis forensis capita. Quo in loco reprehendit Rhetores: non iam, quod vitiose partiantur quaestiones in Finitam et Infinitam, quia ob hanc rem supra satis graviter in illos animadvertit, sed quod tum in scholis tum in libris nos doceant: quaestionem Finitam, quando suis spoliatur attributis, ad Infinitam, quae etiam Propositum nominatur, revocandam esse, siquidem ex huius consideratione omne propemodum dependeat iudicium. Ibidem a Rhetoribus ad Iuris consultorum digreditur similem prope vituperationem, quod, ut illi de singulis tantum et non de universis causis rerumque generibus praecipiunt, ita hi nominatim atque speciatim cavent, dum generales iuris regulas actionumve legitimarum formulas praescribere debeant. His digressionibus perfectis redit ad intermissum suae disputationis scopum, repetens tamen prius praeceptum illud commendandi de cognoscenda ab Oratore causa infinita et ut generales locos inventionis, ex quibus ad omnia negotia sufficientia promuntur argumenta, tum accurate cognitos tum diligenter meditatos habeamus. Quamquam autem inveniendi facultas, quemadmodum et reliqua omnia tribus constat rebus: Natura. Arte et Excercitatione: tamen, si ad naturam accesserit summa exercitationis diligentia, tum arti exiguum loci relictum fore ostendit, idque facit cohortandorum adolescentulorum gratia, nam eiusmodi laudem diligentiae confirmat exemplis Philosophorum, quorum multi sine arte, sola ad subsidium naturae advocata industria, dicunt de rebus magnis ornatissime, cui tamen sententiae resistit Catulus

adducto in conspectum Aristotelis exemplo, qui locos inveniendi tum in Dialecticis tum in Rhetoricis tradidit. Haec autem eo disputantur, quo facilius possit detegi Antonii artificiosissima tum in doctrina tum Graecis in literis simulatio. Cum enim Catulus dixit orationem Antonii ab Aristotelis doctrina non multum differre, subito detegit suum consilium fateturque non invitus se isthaec, de quibus iam disputat, ab Aristotele didicisse, tametsi apud vulgus ita caute soleat dissimulare et occultare Graecarum literarum scientiam, quasi eas ne quidem a primo limine salutarit, idque institutum fore perutile, quando Orator primum quam minimam alicuius artificii, deinde nullam plane Graecarum rerum dederit significationem. Nam hac ratione eius oratio et probabilior et iucundior vulgo est futura. Monet tamen Oratorem, ne plane negligat Graecorum doctrinam, sed si penitus eam cognoscere non poterit, saltem ut degustet. Inde nanciscitur causam disputandi, quorum Philosophorum doctrina Oratori conveniat vel non conveniat. Ac primo Dialecticen Stoicorum ab usu oratorio removet longissime: imo etiam reliquam Philosophiae doctrinam propter aridam et exsanguem orationem parum aut nihil foro convenire existimat. Peripateticos autem et Academicos commendat. Cum enim uberius ornatiusque disputent de rebus, maiorem cognitionem cum Oratoris instituto habent. Et hac ratione demum putabat sibi patefactam et viam expeditam ad tradendam doctrinam locorum fidei, quam breviter et, quod aiunt, cursim perstringit: imo singulorum locorum nominibus, omissis definitionibus et partitionibus, exempla tantum subiicit. Dividit autem locos ex Aristotelis doctrina in insitos et adsumptos. Insitos vocat, quia cum re cohaereant: ut Definitio, Partitio, Notatio et Affecta: hoc est, quae non plane et integre rem in quaestione propositam comprehendunt, sed saltem attingunt eam: ut sunt Genera, partes generibus subiectae vel Species, Similia, Dissimilitudines, Contraria, Consequentia, Consentanea et quasi Praecurrentia, Repugnantia, Causae Effecta, comparata cum maioribus cum minoribus cum paribus. Reliquos locos vocat assumptos, quia cum natura rei non cohaerent, sed feris colliguntur, ex aliqua authoritate sive Divina sive humana et in scholis Rhetorum testimoniorum generali nomine comprehenduntur.[1]) Hos locos qui agnoscit, ei[2]) tum, ut testatur hic Antonius, nihil propemodum occurret, quod ipsum, etiam de gravissimis rebus disserentem fugere possit. Verum argumenta ex locis et suis cellulis eruta atque deprompta ita tractanda varia re oportet, ne vel ars animadvertatur ab auditoribus vel iidem similitudine defatigentur. Postquam ad hunc modum quam brevissime percurrit doctrinam Inventionis argumentove fidei aditum sibi patefecit ad motus vel perturbationes, in quibus vel concitandis vel sedandis magna vis oratoris existit, imo vero hoc est opus omnium ipsius operum longe maximum et ideo maxime excolendum. Etenim omnis oratio et actio Oratoris acco-

[1]) Cod. compraehenduntur.

[2]) Adieci: ei.

modanda est ad motus, ad mores, ad voluntates auditorum, quorum cum multo maxima pars solet esse de plebe, affectum vel appetitum ducem quam rationem sequi malunt: ideo magis afficiendi quam docendi videntur. Cognito hoc Antonii instituto Catulus ipsum conatur revocare ad doctrinam Collocationis, siquidem ipsa natura cum investigatione argumentorum coniuncta esse videatur, non autem motus vel animorum perturbationes. Tum Antonius initio causam erroris confert in oblivionem, quasi collocandi praecepta sibi ex animo excidissent; sed tandem ipsum revocat ad propositam partitionem doctrinae inveniendi. Cum enim eam in tres tribuisset vel divisisset partes: Fidem, Motum atque Delectationem: et unicam saltem explicuisset, docendi rectam rationem necessario flagitare, ut reliquas duas pari diligentia persequatur, itaque collocandi doctrinam non suo loco neque suo tempore a se requiri. Motus deinceps dividit in leniores, quos Graeci **τὰ ἤθη**, et in vehementiores, quos iidem **τὰ πάθη** nominant, quorum illi ad naturam et ad mores maxime sunt accomodati, hi autem eis permovendis et quasi extra sese rapiendis plurimum inserviunt. Leniores exprimuntur ab Oratore blandis et amabilibus sententiis, quae ex doctrina Philosophorum de virtutibus assumendae sunt; tum oratione atque stylo leni pertractantur et voce iucunda proferuntur. Vehementiorum perturbationum numerosam subiicit partitionem summatim tantum genera colligens, ut saltem usus eorum et non natura atque proprietas intelligatur. Sunt igitur eorum haec genera: Amor, Invidia, Benevolentia, Metus, Contemptio, Abiectio, animique Laetitia, Maeror, Misericordia, Severitas, quibus si cum fructu causae suaque dignitate vult uti orator, personas auditorum et controversiae naturam considerare debet, ne in parva magnos et in magna parvos adhibeat. Sed nisi principium movendi a sua persona fecerit, tum vanus et irritus plane ipsi conatus; quae omnia ab Antonio exemplis admodum evidentibus illustrantur. A doctrina motuum transit ad locos delectationis: hoc est ad artem risus et ioci, quorum tamen initio negat esse artem, aut si qua sit, eam ex Iulio Caesare esse cognoscendam. Itaque et hic ad convivium istud Oratorium Tusculani habitum suam dat sive partem sive collectam. Ac principio nullam artem esse contendit, siquidem in libris Graecorum, qui de hac ab istis sunt traditi, nusquam inveniatur: imo tantum abest, ut facetiarum artem contineant, ut potius nihil illis videatur esse insulsius atque ineptius: ideo vere risu esse dignos.[1]) Nihilominus tamen aliquid se de facetiis dicturum promittit, non ut aliquam earum tradere velit artem, sed tanquam usu comparatam observationem, idque ut faciat, etiam Crassi tum authoritate tum cohortatione adducitur, ne forte in tali coetu aut in tam accurato sermone aliqua dicendi pars praeterita videatur. Proponit autem de risu quaestiones quinque: initio, Quid sit, tum, Unde sit, post, An sit oratoris movere risum, tandem, Quatenus eum movere debeat, ad

[1]) Cod. dignis.

extremum, Quibus iocorum generibus sit ei utendum. Primas duas reiicit, tanquam a suo instituto alienas et Physicorum proprias: duas sequentes breviter perstringit enumeratque causas movendi risus ab Oratore et modum eius partim hominum qualitate partim rerum genere definit, quae nimirum irrisionem merentur. In postrema diutissime commoratur dividitque genera ridiculorum in duo capita, quae vel in re sunt vel in verbo. In verbo ridiculum est: cum aut ambigua verba sunt aut immutata similitudine, aut cum nominis est interpretatio, aut cum versus alicuius Poëtae adducitur facete vel totus vel immutatus aliqua parte, aut cum proverbium profertur, in quo verborum sit aliqua virtus, aut cum ad verbum non ad sententiam respondetur, aut cum orationum et verborum sit commutatio aut translatio aut inversio aut contrariorum verborum relatio. In re aut sunt ridicula aut narratio fabulosa vel tota vel aliqua ex parte: tum imago, tum amplificatio et immutatio incredibilis, tum arguta significatio rei latentis et obscurae, tum dissimulatio, tum verbum rei inhonestae, tum contra exspectationem responsio, tum coniecturalis falsa explanatio, tum bella reprehensio, tum familiaris admonitio, tum dictum consentaneum, tum aliquid non exspectatum, tum concessio, tum optatio rei, quae fieri non potest, tum responsio laeta rei ingratae. Hi sunt loci, ex quibus depromuntur sententiae ridiculae ad conciliandos auditorum animos directae, quae tum demum laudantur, si neque nimiae sint neque scurriles atque impudentes neque iis noceant, qui nostrae causae nocere possint. Fatetur autem Caesar se haec desumpsisse a Graecis, apud quos in hunc modum sine ordine diffuse sunt[1]) tradita. Ac ut de suo aliquid etiam videatur attulisse, ad pauciora genera ea[2]) revocari posse ostendit, quod proprium est artis atque prudentiae. Etenim risus commovetur exspectationibus decipiendis, naturis aliorum irridendis ipsorum ridicule indicandis, similitudine turpioris, dissimulatione, subabsurda dicendo et stulta reprehendendo. Quamprimum Caesar peroravit, statim Antonius tanquam ex lauto convivio ad doctrinam Collocationis sibi facit aditum, cuius initio generalia quaedam praecepta proponit: primo ut ea maxime Orator dicat, quae prosint causae, ea vero dissimulet, quae absint, quod consequetur, si difficilia non modo non refutabit, sed ne quidem attigerit: deinde ut consideret non tam, quomodo causae prosit, quam ne quid vel minimum incommodet. Minimus enim error plus affert detrimenti quam multa, quae prosunt, emolumenti. Ex his praeceptis Caesar arripuit causam Antonii laudandi; idque comprobat testimonio Crassi, qui cum in sermone quodam multum de illius virtutibus loquebatur, et quia in illo sermone additum fuerat improbum esse Oratorem, qui mali quippiam in sua causa dixerit, id dictum Antonius explicat et a sua praesenti sententia distinguit eleganter: quod nimirum Crassus de Oratore perfecto, ipse autem de mediocri et prope vulgari sit locutus, ita ut perfectus Orator omnino videatur esse

[1]) Cod. est.

[2]) Cod. eam.

improbus, si quid mali commiserit in agenda causa, mediocris autem parum cautus et parum prudens existimandus, si quid proferat, quod suae causae obsit. His autem modis ostendit Oratorem posse obesse suae causae, si temere lacessit eum, a quo non fuit laesus, si argumento molesto atque difficili non credit, si minus laudat suum clientem, si in eos est vehementer acerbus, si ex patrono se litigatorem facit, si aut aperte mentitur aut pugnantia dicit. Post hanc digressionem demonstravit ordinem Collocationis, quam dividit in artificiosam: hoc est a natura causae oblatum: et prudentem: hoc est, quae ab Oratoris dependet ingenio. Sed haec non ideo dicuntur, quasi ars careat prudentia, siquidem quaevis vera et idonea regula artis sit quoque prudentiae regula: verum quia contra communia praecepta artis prudentiae tantum viribus nititur. Artificiosam definit orationis partium ordine: Exordio, Narratione, Confirmatione, Reprehensione, Peroratione, qui tamen ordo tam est consentaneus naturae quam ab artificibus demonstratus. Prudentem in argumentis et permotionibus ponit, quorum in illis necessarius est delectus, ut vitiosa reiiciantur, gravia utiliaque assumantur. In his autem eius modi moderatio requiritur, quasi iudicem docere tantum, sed non permovere in animo habeat Orator, quod per omnes partes orationis non secus atque in humano corpore sanguis per omnia membra diffundi debet. Verum et hoc in hac Collocatione est diligenter observandum, ne levia primo loco ponantur neque infimo cuique patrono causa initio permittatur. Ab hac vicissim ad artem regreditur, cuius praecepta in orationis partibus monstrat, singularumque virtutes indicat. Nam Exordium, quod cogitatione solet esse postremum et tractatione sit primum, comparatum esse debet ad Attentionem, ad Docilitatem, ad Benevolentiam. Itaque magna in hoc ab Oratore diligentia requiritur, ut ex ipsis quasi visceribus causa sumatur. Narrationis virtutes sunt: Brevitas, Perspicuitas, Probabilitas et Iucunditas. Sed Antonius brevitatis praecepta Graecorum irridet suaviter, hac in re vestigia sui magistri Aristotelis secutus.

Propositio statim Narrationi est subiungenda, quoniam principalem quaestionem continet et est initium sive Confirmationis sive Refutationis, in quibus argumentorum Collocatio, de qua iam dixit, maximam vim habet. Verumque haec omnia iudiciorum tantum videntur. Quamobrem et reliquorum duorum Demonstrativi atque Deliberativi mentionem facit, non tam ut doceat, quomodo in his collocandae sint sententiae, quam ut ostendat modum suadendi et dissuadendi, laudandi et vituperandi. Cum enim Deliberationum loci omnes referantur ad honestatem, quando apud claros homines dicimus, vel ad utilitatem, quando imperitis damus consilia, tum illic virtutum atque vitiorum, hic autem commodorum, tum corporis, tum fortunae et contrariorum incommodorum vis dominatur, quibus adiunguntur quoque possibilia et impossibilia, necessaria et non necessaria. Et quoniam Deliberationum materia tractatur potissimum vel in senatu vel in comitiis, illic censet adhibendum minus accuratum

genus dicendi, hic autem explicandos omnes thesauros Eloquentiae. Quanquam autem supra Demonstrativum genus contempserat, quod perfacile esset usumque in civilibus controversiis haberet[1]) rariorem, tamen quasi certis adduceretur causis, hoc loco illud praetermittere non voluit. Rationes laudandi easdem prope adfert, quas de suadendo tradidit, siquidem ex tribus generibus bonorum deducantur: Animi, Corporis et Fortunae, ad quam rem cognitio Moralis Philosophiae imprimis est necessaria. Absoluta doctrina Collocationis Memoriae, quae postrema pars est Antonianae disputationis, aggreditur artem, cuius inventorem[2]) Simonidem facit.

Verum ille docet initio Memoriam natura procreari, doctrina nutriri et exercitatione confirmari. Deinceps summatim exponit Graecorum praecepta de arte Memoriae et locorum externorum imaginumque constituenda. Sed in re pervulgata non vult esse nimius. Et qui hac arte uti velit, is debet adhibere loca multa, illustria, explicata modicisque separata intervallis: denique imagines oportet eum habere agentes, acres, insignes, quae possunt celeriter occurrere, tum animum subito percutere. Quemadmodum autem oratio constat ex rebus et verbis, ita illud artificium ad haec duo est accommodandum. Quod autem imaginum tam multarum tamque variarum pondere memoria neque oneretur neque opprimatur, id exemplo Carneadis[3]) Atheniensis et Metrodori Asiatici probat. Hic igitur est ordo disputationis Antonii de tribus Eloquentiae partibus: Inventione, Collocatione et Memoria, qua absoluta Antonius culpam impudentiae deprecatur, ut laudem retineat modestiae, qua ratione causam dat Catulo sui cum magna gratiarum actione laudandi. Sub finem Crassus invitatur ad pomeridianam disputationem de reliquis duabus Eloquentiae partibus, Elocutione et Actione, quas eidem Antonius reliquerat.

Libri III. de Oratore Epitome et ordo.

Quae res ab Antonio relictae sunt duae et in dicendo plurimum possunt, hae tibi, Carole, in isto tertii libri pomeridiano sermone a L. Crasso explicantur ambae: Elocutio et Actio, quarum altera Eloquentiae dat nomen, altera vero eidem dignitatem adfert. Nisi enim quis latine, nisi aperte, nisi ornate, nisi ad id, de quo agitur, apte dixerit, in disertorum numero ponendus non erit: tantum abest, ut citra impudentissimam arrogantiam nomen eloquentis sibi vindicare[4]) ausit.

Haec tamen omnia perinde erunt atque agentur. Orator itaque, quantumvis excellens, sine Actione in numero haberi solet nullo, medi-

---

[1]) Cod. habeat.

[2]) Cod. ‚artem' pro ‚inventorem'. Sed cf. de or. II., 86, 351: gratiam habeo Simonidi illi Ceo, quem primum ferunt artem memoriae protulisse.

[3]) De or. II., 88, 360: Vidi enim ego summos homines et divina prope memoria, Athenis *Charmadam*, in Asia, quem vivere hodie aiunt, Scepsium Metrodorum etc.

[4]) Cod. vendicare.

ocris autem et ea instructus etiam summos facile superabit, quod tamen aliter non consequetur, nisi omnes animi motus tum sua voce, tum gestu proprio expresserit. Omnis enim animi motus suum quendam habet sibi a natura attributum et sonum et vultum et gestum: totum denique corpus hominis ita est affectum, omnis vultus ita est comparatus, omnes voces ita sonant, quemadmodum a motu animi non aliter quam nervi in fidibus pulsantur et excitantur. Sed quo facilius haec omnia intelligas, tum ut accuratius praecepta de his cognoscas, quae tibi tradit L. Crassus, ordinem sui sermonis sive disputationis diligenter consideres oportet. Hoc autem difficile futurum non est, si librum hunc in tres illas principales distribues partes: in principium, in progressum et exitum: quas non modo vidisti in praecedentibus libris, verum etiam in omnibus quotidianis colloquiis locum habere animadvertis. Principium itaque, quomodo fieri solet in dialogis, in praeparatione quadam consumitur, quia L. Crassus in magno silentio duarum horarum tempore meridiano commentatur; neque enim viro consulari Romanoque civi de Eloquentia disserenti conveniebat subita dictio; et tandem fracto calore inclinatoque in postmeridianum die auditores ipsum promissi sua tantum praesentia admonent omnesque una sessum in mediam silvam abeunt. Quamprimum consederant, statim Crassus disputationem de ratione orationis illustrandae aggreditur et initio iniquam partitionem ab Antonio factam in disputatione de disciplina dicendi comiter accusat, quod ipse de rebus dixit, sibi autem verba reliquit, quae duo natura sunt inter se coniuncta et adeo arte colligata, ut alterum ab altero seiunctum[1]) subsistere non possit. Tum excurrit in locum communem de variis generibus dicendi, quae in singulis apparent Oratoribus, licet ab una eademque arte Elocutionis producantur. Ubi redit ad institutum, paucis verbis summam futurae disputationis his verbis proponit, quod ea omnia, quae docuit Antonius, agenda sunt et aliquomodo dicenda, hoc est sententiae inventae et quasi in acie collocatae, ut docuit Antonius, vestiendae, imo etiam ornandae sunt verbis idoneis, quod proprium est Elocutionis, deinde efferendae voce et gestu convenienti, quod proprium est Actionis, idque explicare debet Crassus. Elocutionis vim atque naturam in quatuor dicendi modis vel generibus ostendit: in latino, plano, ornato et apto, quorum duos priores brevissime percurrit vel potius eorum tantum fecit mentionem, ne illos plane praeteriisse silentio videretur. Alter enim eorum, hic est latinus, traditur literis doctrinaque puerili neque tam arte quam potius exercitatione, quae fit in legendis atque audiendis tum poetis tum oratoribus, comparatur. In quo non solum barbarismus, qui est in singulis vocibus, et soloecismus, qui est in coniunctis, fugiendus est, verum etiam pronuntiationis maxima habenda est ratio, ita ut urbanitatem civium Romanorum, non autem stoliditatem agrestium hominum prae se ferat. Alter denique modus eloquendi in-

[1]) Adieci: seiunctum cf. de or. III., 6, 24.

telligentiae causa adhibetur, quod fit, quando Orator in dicendo verbis latinis, significantibus et usitatis utitur. Sed priusquam duos reliquos accedit, quaedam alia profert in medium, quam ab ipso fuerant flagitata, hac tamen disputatione non indigna, imo persona Crassi dignissima. Etenim vir iste, velut aestu quodam ingenii sui a terra in coelum abreptus, rursum ad laudes perfectae Eloquentiae digreditur ostenditque multis rationibus Philosophiam Oratori maxime necessariam esse, si in sese absurdum illud oris et cordis dissidium nolit experiri. Sed quia multae extiterunt philosophorum non tantum familiae, sed etiam quaedam veluti coloniae, quoniam licet plurimae ab uno Socrate originem acceperint, tamen multum inter se discriminatae fuerant; ideo propemodum omnes enumerat. Verum Oratorem suum tantum vult versari in schola Academicorum atque Peripateticorum, in quarum illa magister erat Carneades, in hac vero Aristoteles, quibus ita operam dare debet, ut omnes eorum disputationes atque doctrinam ad civilem disciplinam et forensia negotia transferat. Neque vult, ut in eorum Philosophia totam aetatem conterat et quasi in hoc studio consenescat, verum ut philosophetur paucis, quemadmodum loquitur Neoptolemus apud Ennium[1]), hoc est, ut tantum fontes Philosophiae intueatur, quod nisi quis celeriter cognoverit, nunquam omnino cognoscet. Et qui fontes cognovit vel mediocriter, tum, quotiescunque opus erit, ex his, quantumve res flagitabit, facile haurire poterit. Omnia enim ista aliter ab his tractantur, qui doctrinam ad usum transferunt: longe autem aliter ab illis, qui in studio et discendo totam vitam consumunt. Haec in eum finem a Crasso disputantur, quo facilius pernoscant omnes, volubilitatem verborum sine rerum cognitione, ex quibus depromendae sunt sententiae, inanem esse, ineptem atque ridiculam: summam denique laudem in facultate Eloquentiae eum esse consecutum, qui res novit amplificare et orationem convertere ad motum, quod in primis faciundum est in locis, qui a veteribus communes vel proposita vocantur. Sed hi non aliunde hauriuntur, quam ex Philosophia, praesertim civili, eorumque alii adhibentur in vitiis insectandis, alii pro reis deprecandis, alii in utramque partem disputando Academiae more explicandis rebus inserviunt. Ut autem in hunc modum disputando oratio eius evadat uberior, oportet Finitam quaestionem revocare ad Infinitam, cuius rei gratia rursum digreditur ad haec quaestionum genera, modumque reducendae controversiae ad Propositum; hoc est Finitae quaestionis ad Infinitam: exemplis tum Graecorum tum Latinorum illustrat. Hanc disputationem Crassi vehementer laudat Catulus eiusque sententiam exemplis quorundam Sophistarum Atheniensium, qui Eloquentiae professionem cum Philosophia coniunxerunt, tum probat, tum confirmat, sed tamen Crassum, ut his, ita omnibus Graecis longe anteponit. Quanquam enim in eorum lingua non fuerat natus fueratque semper civilibus adeo occupatus vel potius

[1]) De or. II., 37, 156.

obrutus negotiis, ut non multum temporis ab his subtrahere potuerit ad discendam Philosophiam: nihilominus cognitionem rerum maximarum est consecutus, quam illi otio abundantes non attigerunt et ab aliis relictam sua negligentia turpiter amiserunt. Ad hanc interpellationem Crassus respondet nihil, sed tantum subiungit dissidio illo oris et cordis, tum separatione vel potius quadam sectione artium istarum magnitudinem valde imminutam esse, quarum antiquam coniunctionem demonstrat tum in Graecis tum in Latinis, et congeriem exemplorum vel potius Inductionem concludit: Sapientiam cum Eloquentia necessario coniungendam esse. Quae sententia etiam in superioribus sermonibus tractata fuit, sed in hoc postremo Crassus eam omnino est persecutus.

Videtur autem proposita esse vel potius iterata magis ad Eloquentiae speciem quam ad doctrinam, ut omnibus notum sit Crassum vel potius M. Ciceronem tum eloquentissimum tum elegantissimum fuisse oratorem, siquidem in laudibus Eloquentiae tam elegans tam ornatus esse voluerit. Quae omnia facta sunt propter decorum personarum, cuius in dialogis maxima est habenda ratio. Existimavit igitur Crassus ita sibi disserendum esse de modis illuminandae orationis, ut Eloquentiae vim, quae summa esset, illustri et copiosa oratione ornaret, artem vero ipsam, quae parva, vulgaris et usitata esset idcircoque admiratione vel laude magna vix digna, paucis et brevibus praeceptis perstringeret, quemadmodum iamiam animadvertes. Non enim ita de his disserit, tanquam magister quispiam ex schola, sed velut vir politicus et in foro diu versatus usum artis ostendit. Haec tam longa, verum minus ornata et iucunda digressio ab instituta doctrina, de modis illuminandae orationis, postquam fuit perfecta, tum Sulpicius, simulans se philosophiam contemnere, ad ea Crassum revocat, quae ad orationis ipsius tum laudem tum splendorem pertinent. Sed iste hanc doctrinam valde extenuat, quasi tritam et pervulgatam. Ut tamen auditorum desiderio satisfaciat, iam, quemadmodum paulo ante dixi, non tam explicat, quam indicat et enumerat.Tertium modum dicendi supra posuit esse Ornatum, quem iam spectari docet tum in verbis singulis, quae sunt vel propria, quibus etiam subiicit vetusta vel translata vel novata, tum in coniunctis, quae collocationem primum desiderant, deinde modum requirunt et quandam formam, ad extremum colorem seu habitum flagitant. In propriis spectanda est **εὐφωνία**, id est vocalitas, qua maxime afficiuntur hominum aures; ideo ut bene diiudicetur, consuetudo debet admitti. Novata denique ab ipso Oratore fiunt, sive gignuntur sive generantur partim coniunctione partim sine compositione. Translata vero, de quibus propter eorum magnam copiam posteriore agit loco, initio inopiae gratia fuerant inventa: post etiam delectationis gratia frequentata. Ea tamen sunt tantum transferenda, quae aut clariorem aut significantiorem aut breviorem efficiunt orationem, quo factum est, ut homines translationibus quam propriis et nativis uti malint. Cavendum etiam est diligenter, ne translatio sit vel dissimilis vel longe petita vel

turpis vel maior vel minor quam par sit. Translationi subiicit Allegoriam, in qua aliud dicitur et aliud intelligitur, quod, si obscurior est oratio, tum Aenigma efficitur. Metonymiam quoque, id est mutationem nominis, annectit Translationi, licet inter se videantur non nihil esse discriminatae, quia in hac semper est similitudo, in illa nulla comparatio. His Synecdoche, cum ex parte totum aut contra ex toto pars intelligitur, est admodum finitima et omnibus frequenter Catachresis, hoc est abusio, committitur. Et haec de verbis singulis. In Coniunctis vel in singulorum verborum continuatione primum locum sibi vindicare[1]) dixit Collocationem seu Compositionem. Videndum igitur, ne in hac sit asper consonantium concursus neque etiam creber vocalium hÿatus, ex quibus tandem suavis et numerosa, vel quasi modulata exoritur oratio. Alterum itaque locum in verbis coniunctis sibi vindicat[2]) Numerus Oratorius, cuius primum authorem facit Isocratem, quod rationem ostenderit, quomodo ex poeticis versibus mutuatus dissimilis versui confici possit. Et quemadmodum oratio numerosa est, facilis et venusta, ita praecepta de Numero multa et difficilia non sunt: verum tamen iis bene uti et in prosa oratione numerose scribere hoc opus, hic labor est. Neque tamen Numerus Oratorius ex omnibus conficitur pedibus. Crassus igitur, secutus in hac parte, ut in aliis multis, doctrinam Aristotelis, Iambum et Trochaeum in oratione frequentes esse non vult, Dactylum, Spondeum, Anapaestum, duos Paeonas[3]) et Creticum commendat. Huius autem sive artis sive rationis observatio in eo consistit, ne in prosa versus integer reperiatur neve Periodorum sive Comprehensionum initia principium carminis aut illorum clausulae huius finem referant. Numerosam enim oportet esse orationem, sed non carmen. Hanc ob causam Crassus discrimen inter Poëticum Oratoriumve numerum non negligit indicare et ingenue confitetur se doctrinam de Numero ab Aristotele et Theophrasto, non autem in Rhetorum scholis didicisse. Et quia in periodis maxime conspicitur numerus, monet, ne faciamus vel nimium breves vel nimium longas, quia hae offendunt memoriam et illae impediunt intelligentiam, sed ut inter haec duo medium, per quod tutissima semper est via, diligenter observemus, clausulas tamen initiis periodorum longiores non improbat. Et quoniam tota haec pars et doctrina de Compositione Oratoria admodum exigua est in praeceptis, in usu autem maxima, ideo tantam tamque multam et assiduam in ea exercitationem ab Oratore flagitat, ut oratio eius subita non multum a scripta differre videatur. Id autem consequi difficile non esse, multo minus, ut quidam imperiti putant, esse impossibile, exemplo bonorum Poetarum demonstrat, qui comparato sibi usu in scribendis versibus saepenumero multos et quidem bonos versus effundunt ex tempore, cum tamen literam scribant nullam. Eo autem maiore diligentia in hoc

[1]) Cod. vendicare.
[2]) Cod. vendicat.
[3]) Cod. Poeanas.

genere exercitationis censet adhibendam, quo plurium in dicendo iudicia cogitur sustinere. Nam et vulgus imperitum vitia in sermone notare solet, sive quid additum sit sive subtractum sive non suo loco positum, propterea quod natura ipsa, quae magistra est ordinis et pulchritudinis, ipsis quodammodo demonstrat, quid rectum sit vel vitiosum tum in rationibus tum in arte. In conficienda quidem oratione permultum interest inter peritum et imperitum artis dicendi, in iudicando autem multum non interest, quoniam hominum mentibus maxime sunt cognati numeri et voces. Hic igitur modus est et figura ornatae orationis. Sequitur eiusdem habitus et color, quem dividit Crassus in gravem, subtilem et mediocrem, qui ut conficiuntur, ita differunt inter se ornamentis tum verborum tum sententiarum, quae enumerat tantum, non explicat, quia non tam in cognitione quam potius in recto usu eorum vis consistit. Hic enim demum est bonus Orator, qui de rebus magnis graviter, de parvis subtiliter, de mediocribus moderate dicere et in omnibus decori rationem habere potest.

Nihil enim est laudabile, quod est ineptum. Itaque Aptum vel Decorum genus dicendi Crassus docet in eo potissimum consistere, ut oratio cum materia et res cum verbis comparentur, ornamenta ut adhibeantur alias contentius, alias remissius: in attributorum autem vel circumstantiarum observatione tam, quae personas, quam, quae res circumstant, ut Orator sit bene cautus et prudens.

Et haec est universae doctrinae Crassi de Elocutione summa, cuius facultatem et vim in quatuor virtutibus orationis posuit: in Latinitate, in Perspicuitate, in Ornatu et in Decoro. Sequitur igitur altera instituti huius pars Actio, quam initio commendat Demosthenis, Aeschinis et C. Gracchi tum authoritate tum testimonio, deinde eam dividit in Vultum, Gestum et Sonum, quorum illi duo inserviunt auditorum oculis, hic autem ad aures eorum pertinet. Sed in dicendo horum omnium tot debent esse mutationes atque varietates, quot animi sunt sive cogitationes sive affectiones, ita ut singulis suum adhibeatur genus Vocis, Vultus et Gestus.

Et quo melius his uti sciat Orator, eo accuratius singulorum vim explicat. Primum autem vocum dictiones examinat, quarum pars sumitur ex quantitate, ut vox alia ut magna, alia parva, alia mediocris pars oritur ex qualitate, ut vocum alia cita, alia tarda, alia moderata, item alia lenis, alia aspera; rursum alia contracta, alia diffusa; denique alia continenti, alia interrupto emissa spiritu; ad extremum alia fracta, alia scissa, alia flebilis, alia attenuata, alia inflata,[1]) cuius varietatis in exemplum Poetarum bonum usum ostendit, in quibus sunt motus, iracundia, commiseratio, metus, voluptas, molestia et his similes perturbationes. A vocibus deinde progreditur ad Gestum, qui vel in totius corporis motu spectatur vel in quibusdam tantum partibus, ut lateribus, manibus, brachiis et pedibus.

---

[1]) De or. III., 57, 217: lene asperum, contractum diffusum, continenti spiritu intermisso; fractum scissum; flexo sono extenuatum inflatum.

In illo histrio non est imitandus; laterum motus debet esse fortis et virilis, manus non nimium argutae, brachia non incurvata ad pectus, sed in longum proiecta et extensa, ut impetum oratoriae contentionis significent, in qua sive exordienda sive finienda supplosionem pedis interdum oportet adhibere. Postrema pars actionis est vultus, qui est veluti animi quaedam Actio, siquidem ex illo coniectura quadam prudenti hominis animus maxime deprehenditur. Nec aliud est, quam habitus quidam oris et oculorum, quorum illius dignitas in agendo diligenter est consideranda, ne aut vaste diducatur aut deforme torqueatur: hoc est, ne Orator vel ad ineptias vel ad pravitatem quandam deferatur. Oculi autem more Taurisci illius histrionis ab auditoribus inepte averti non debent. In his omnibus vis quaedam inest a natura homini data, ut Actione vulgus, imperiti et barbari commoveantur. Sed in Actionis usu atque laude plurimum sibi vindicat[1]) vox, ad quam obtinendam nihil utilius crebra mutatione, nihil perniciosius quam effusa sine intermissione contentio, idque illustrat exemplo C. Gracchi. Huic enim contionanti musicus post eum consistens fistula modos monstrabat, quibus debebat vocem intendere. Sed exemplum huius fistulae in eum finem proposuit, ne in dicendo aut gravissimo aut acutissimo vocis sono Orator utatur, sed ut medium, in quo virtus consistit, et omnes res laute, digne, prudenter deligat, idque pro loco, pro tempore et pro ratione materiae variet. In his itaque secundum Crassi sententiam universa vis Actionis consistit, quae fuit posterior pars disputationis huic sermoni ab Antonio attributa.

Crassus deinceps, ut decore universa haec disputatio de ratione dicendi concludatur, modeste suum sermonem extenuat et tenuitatis causam confert in tempus. Catulus vero, ne tam praeclarus Crassi labor iusta mercede defraudetur, ipsum laudat et hanc doctrinam Graecorum magistris longe anteponit sibique plurimum gratulatur, quod huius sermonis fuerit particeps factus. Sed tamen genèri sui Q. Hortensii praesentiam admodum desiderat, cuius exemplo Cotta et Sulpicius ad Eloquentiae studium excitantur.

Epilogus.

Contexui, Carole Baro, quemadmodum potui, summam totius disputationis, quam praestantissimi illi cives Romani biduo habuerunt de universa dicendi ratione. Equidem conatus sum Theseum imitari, ut tibi, si hos libros legere velles, methodi et rationis filo, ex labyrintho sive difficultatis sive obscuritatis saltem aliqua parte viam monstrarem. Non enim interpretem egi aut commentatorem, qui singula excutiat accurate, ne quid remorari possit intelligentiam lectoris, sed quemadmodum dux viae magnis itineribus et velut per equos dispositos tecum Oratorem Ciceronis percurri. Verum et hoc an sim consecutus, tui iudicii esto. Ego etiamsi tibi forte satisfecero, mihi tamen nullo modo satisfeci. Neque enim

[1]) Cod. vendicat.

aliud in hac commentatione spectavi, nisi ut tu esses horum librorum lector sedulus atque fructuosus et, ut tu, aliquando alii adolescentes nobiles, qui ad Rempublicam gerendam crescunt, ad eorum lectionem excitarentur. Quanquam autem parum vel etiam nihil praestiti, tamen non omnino nihil egi. Nam ut cuiusvis non est, sed est artificis centrum invenire in circulo vel collineando[1]) medium in scopo attingere, ita non cuiusvis est neque est parvi vel temporis vel laboris, summam aut argumentum alicuius libri colligere, ut ex eo institutum et quasi mens atque voluntas authoris percipiatur et ad quod omnia, quae in illo continentur, possint revocari. Alia ratione sunt evolvenda veterum Philosophorum et Oratorum scripta, quam hodie vulgus eruditorum facere solet, quorum multi praeclare se aliquem authorem intelligere putant, si eius quaedam verba, aliquot sententias, historias, fabulas et his similia didicerunt, quae tamen magis ad delectandum quam docendum lectorem adhibentur a scriptoribus. Atqui hoc, ut est puerile, ita non multum laboris requirit vel temporis et idcirco non multum etiam lectoribus adferre solet utilitatis. Verum tu, Carole, si quem authorem vel mediocriter intelligere volueris, oportet, ut eum initio totum celeriter percurras et saltem praecipua capita tibi notes, ex quibus hoc, de quo agimus, sive institutum sive argumentum eruere possis, demum in iterata lectione singula examinabis et argumenta sive docendi sive refellendi gratia adhibita erues, tum eadem ad sua capita et hoc ad propositum universale revocabis. Hoc si in uno authore bis terve feceris, plus inde eruditionis reportabis, quam ex magnis commentariis. Quod tamen non ita dictum velim, quasi plane inutiles existimem esse commentarios, praesertim virorum doctissimorum: hoc enim et insanum et valde arrogans esset: verum ut notum sit rectam rationem discendi in methodo et ratiocinatione consistere, quae duo in ore habent propemodum omnes, non omnes tamen vim eorum intelligunt. Sed haec sunt alterius loci et temporis, quae tu parvo labore a Crasso et ab Antonio cognosces. Quodsi et ego aliquid apud te possem vel si tu meam requireres sententiam, tum ego aliud tibi non responderem, nisi ut haec duo consideres in legendo et scribendo: QUID et QUOMODO dicatur vel scribatur. Nam illud duorum te admonebit, quod nimirum vera esse debent et ad institutum, de quo agitur, pertinentia; hoc itidem duo in se comprehendit: ordinem in collocatione et perspicuitatem in elocutione. Horum observatio in literatis scriptoribus non est difficilis; in omnibus tamen ista cum intelligentiam tum memoriam mirifice adiuvant. At quid ego haec ad te, qui in Germania primo, post in Gallia, ad extremum in Italia praestantissimos habuisti magistros? Volui tamen et istis nugis meam erga te declarare observantiam.

Vale igitur et salve, Baro Generose, meque, quod facis, ama.

FINIS.

[1]) Cod. collinando.

Mimo Rozpravy III. třídou vydaná díla:

Dr. *V. Mourek*. Kronika Dalimilova.	Cena 2 K 80 h.
Dr. *V. Vondrák*. Glagolita Clozův.:	„ 6 „ — „
Josef Truhlář. Listář Bohuslava Hasišteinského z Lobkovic. Sbírka pramenův ku poznání literárního života v Čechách, na Moravě a v Slezsku. (Skupina II. Číslo 1.)	„ 4 „ 40 „
Jan Urban Jarník. Dvě verse starofrancouzské legendy o sv. Kateřině Alexandrinské.	„ 10 „ — „
Dr. *Just. V. Prášek*. M. Kabátníka cesta z Čech do Jerusaléma a Kaira roku 1491-92. Sbírka pramenův etc. (Skupina I. Řada 2. Čís. 1.)	„ — „ 80 „
Adolf Patera. Vzájemné dopisy Josefa Dobrovského a Fortunata Duricha z let 1778—1800. Díl I. Sbírka pramenův etc. (Skupina II. Číslo 2.)	„ 5 „ 80 „
Dr. *Jan V. Novák*. Staročeská gesta Romanorum. Sbírka pramenův etc. (Skupina I. Řada 2. Číslo 2.)	„ 4 „ 60 „
Čeněk Zíbrt. Bibliografický přehled českých národních písní. Sbírka pramenův etc. (Skupina III. Číslo 1.)	„ 5 „ 80 „
Dr. *Václav Vondrák*. Frisinské památky	„ 3 „ 60 „
František Št. Kott. Příspěvky k česko-německému slovníku zvláště grammaticko-fraseologickému. Archiv pro lexikografii a dialektografii. Číslo 1.	„ 11 „ 60 „
Dr. *J. Hanuš*. Život a spisy Václava Bolemíra Nebeského	„ 1 „ 20 „
Josef Truhlář. Dva listáře humanistické. I. Dra. Racka-Doubravského. II. M. Václava Píseckého. S doplňkem listáře Jana Šlechty ze Všehrd. Sbírka pramenův etc. (Skup. II. Čísle 3.)	„ 2 „ — „
Martin Hattala. Besední řeči Tomáše ze Štítného. Sbírka pramenův etc. (Skupina I. Řada I. Číslo 1.)	„ 2 „ 40 „
Dr. *V. Flajšhans*. Podrobný seznam slov rukopisu Králodvorského. (Archiv pro lexikografii a dialektologii. — Číslo 2.)	„ 1 „ 80 „
Dr. *Jan Kvačala*. Korrespondence Jana Amosa Komenského. (Listy Komenského a vrstevníků jeho.) Nová sbírka. — [Spisy Jana Amosa Komenského. Číslo 1.]	„ 3 „ — „
Adolf Petr Záturecký. Slovenská přísloví, pořekadla a úsloví.	„ 6 „ 80 „
Dr. *Jan V. Novák* a *Adolf Patera*. J. A. Komenského Theatrum universitatis rerum. [Spisy J. A. Komenského. Číslo 2.]	„ 1 „ 20 „
Dr. *V. Flajšhans*. Knihy české v knihovnách švédských a ruských. Sbírka pramenův etc. (Skupina III. Číslo 2.)	„ 1 „ 20 „
Dr. *Jos. Müller*. J. A. Komenského na spis proti Jednotě Bratrské od Sam. Martinia z Dražova sepsaný Ohlášení. Připojen spis Samuele Martinia z Dražova Třicet pět důvodův. [Spisy J. A. Komenského. Číslo 3.]	„ 3 „ — „
Dr. *V. J. Nováček*. Františka Palackého korrespondence a zápisky. I. Autobiografie a zápisky do r. 1863. (Sbírka pramenův. Skupina II. Číslo 4.) .	„ 2 „ 80 „
Dr. *Jan Kvačala*. Korrespondence Jana Amosa Komenského. — Svazek II. (Spisy J. A. Komenského. Číslo 1.)	„ 3 „ 60 „
Adolf Patera. Žaltář Poděbradský. (Sbírka pramenův etc. Skupina I. Řada I. Číslo 2.)	„ 4 „ 60 „
Frant. Bartoš. Národní písně moravské nově nasbírané. (Díl I.)	„ 7 „ 30 „
Dr. *V. Flajšhans*. Literární činnost M. Jana Husi. (Sbírka pramenův. Skupina III. Číslo 3.)	„ 2 „ 50 „
Ant. Truhlář. Jana Albína Ezopovy fabule a Brantovy rozprávky. (Sbírka pramenův. Skupina I. Řada 2. Číslo 3.)	„ 5 „ 50 „
Jan V. Novák. Jana Amosa Komenského: Moudrost starých Čechů, za zrcadlo vystavená potomkům. (Spisy J. A. Komenského. Číslo 4.) . .	„ 1 „ 70 „
Frant. Bartoš. Národní písně moravské nově nasbírané. Díl II.	„ 14 „ 80 „
František Št. Kott. Druhý příspěvek k česko-německému slovníku. (Archiv pro lexikografii a dialektologii. — Číslo 3.)	„ 6 „ 20 „
Dr. *Justin V. Prášek*. Marka Pavlova z Benátek Millon. (Sbírka pramenův. Skupina I. Řada I. Čís. 3.)	„ 4 „ 20 „
Dr *Jan Kvačala*. Korrespondence Jana Amosa Komenského. Listy Komenského a vrstevníků jeho. II. — Svazek 3. — (Spisy J. A. Komenského. Číslo 5.)	„ 5 „ — „
Ferdinand Strejček. Jana Hasištejnského z Lobkovic putování k svatému hrobu. (Sbírka pram. etc. Skup. I. Řada II. Čís. 4.)	„ 1 „ 60 „
Dr. *V. J. Nováček*. Františka Palackého korrespondence a zápisky. II. Korrespondence z let 1812—1826. (Sbírka pramenův. Skupina II. Čís. 5.) .	„ 3 „ 10 „
František Černý. Evangeliář Olomoucký. (Sbírka pramenův etc. Skupina I. Řada I. Číslo 4.)	„ 3 „ 50 „
Dr. *Josef Th. Müller*. Jana Felina Rozebrání obrany Sam. Martinia. — Jana Amosa Komenského Cesta pokoje. — Induciae Martinianae.	„ 3 „ 80 „

Homerova Odyssea. Přeložil *Antonín Škoda.* Díl první. Bibliotéka klassiků řeckých a římských. Číslo 5.	Cena	2 K	— h.
G. Suetonia Tranquilla Životopisy XII císařů římských. Přeložil *O. Kabelka.* Bibliotéka klassiků řeckých a římských. Číslo 6.	„	4 „	— „
Gaja Velleja Paterkula Dějiny římské až ku konsulátu M. Vinicia. Přeložil *Frant. St. Kott.* Bibliotéka klassiků řeckých a římských. Číslo 7.	„	2 „	— „
Dr. *Čeněk Zíbrt.* Staročeský lucidář. Text rukopisu Fürstenberského a prvotisku z roku 1498. (Sbírka pramenů. Skupina I. Řada II. Číslo 5.)	„	1 „	— „
Adolf Patera. O sv. Jeronymovi knihy troje. (Sbírka pramenů. Skup. I. Řada I. Číslo 5.)	„	3 „	30 „
Václav Oldř. Slavík. Karla Aloisa Vinařického korrespondence a spisy paměti. I. Korrespondence od roku 1820—1833. (Sbírka pramenů. Skupina II. Číslo 6.)	„	4 „	— „
Dr. *Josef Karásek.* Kollárova dobrozdání a nástin životopisný z roku 1848. (Sbírka pramenů. Skupina II. Číslo 7.)	„	1 „	60 „
Dr. *Zdeněk V. Tobolka.* Česká bibliografie. Svazek I. Za rok 1902	„	4 „	20 „
Jan Loriš. Sborník hraběte Baworowského. (Sbírka pramenů. Skupina I. Řada I. Číslo 6.)	„	5 „	60 „
T. Maccia Plauta Mostellaria. Přeložil *Jan Lad. Čapek.* Bibliotéka klassiků řeckých a římských. Číslo 8.	„	1 „	80 „
Dr. *Čeněk Zíbrt.* Frantova práva. (Sbírka pramenů. Skupina I. Řada II. Č. 6.)	„	2 „	— „
Homerova Ilias. Přeložil *Antonín Škoda.* Díl I. Bibliotéka klassiků řeckých a římských. Číslo 9.	„	1 „	80 „
Xenofontovy drobné spisy. Přeložil Dr. *Karel Müller.* Bibliotéka klassiků řeckých a římských. Číslo 10.	„	3 „	40 „
Ph. Dr. *Isidor Theod. Zahradník.* Slovník latinsko-německo-český pro Ladislava Pohrobka. (Archiv pro lexikografii a dialektologii. — Číslo 5.)	„	2 „	80 „
Dr. *Zdeněk Tobolka.* Česká bibliografie. Svazek II. Za rok 1903. (Sbírka pramenů. Skupina III. Číslo 3.)	„	5 „	50 „
Adolf Patera. Čtenie zimnieho času. (Sbírka pramenů. Skupina I. Řada I. Číslo 7.)	„	2 „	32 „
Frant. Bartoš. Dialektický slovník moravský. I. Část I. (Archiv pro lexikografii. Číslo 6.)	„	6 „	50 „
M. Juniana Justina Výtah z dějin filippských Pompeja Troga. Přeložil *František St. Kott.* Bibliotéka klassiků řeckých a římských. Číslo 11.	„	3 „	60 „
Dr. *Maximilian Křepinský.* O poměru předlohy Hartmannova Gregoria k starofrancouzským legendám o sv. Řehoři.	„	2 „	20 „
Homerova Ilias. Díl II. Přeložil *Antonín Škoda.* Bibliotéka klassiků řeckých a římských. Číslo 12.	„	2 „	50 „
Frant. Bartoš. Dialektický slovník moravský. II. (Archiv pro lexikografii. Číslo 6.)	„	6 „	80 „
František St. Kott. Třetí příspěvek k česko-německému slovníku zvláště grammaticko-fraseologickému.	„	13 „	70 „
Thukydidovy dějiny války Peloponneské. (Díl I.) Přeložil *Jan Kosápek.* Bibliotéka klassiků řeckých a římských. Číslo 13.	„	2 „	— „
Dr. *Zdeněk V. Tobolka.* Česká bibliografie. Svazek III. Za rok 1904.	„	5 „	— „
Vl. Francev. Korrespondence Josefa Dobrovského. Díl II. (Skupina II. Číslo 8.)	„	4 „	— „
Josef Truhlář. Katalog českých rukopisů c. k. veřejné a universitní knihovny pražské	„	2 „	60 „
Jan L. Čapek. T. Maccia Plauta komoedie „Pseudolus". (Bibliotéka klassiků řeckých a římských. Číslo 14.)	„	1 „	50 „
Jan František Hruška. Dialektický slovník chodský. (Archiv pro lexikografii. Číslo 7.)	„	3 „	10 „
František Bílý. Korrespondence a zápisky Frant. Ladislava Čelakovského. I. (Sbírka pramenů. Skupina II. Číslo 10.)	„	2 „	20 „
J. V. Novák a *V. Flajšhans.* Daniela Sinapiusa Neoforum Latinoslovenicum. (Sbírka pramenů. Skupina II. Číslo 11.)	„	— „	— „

Tiskem Aloisa Wiesnera v Praze, knihtiskaře České Akademie císaře Františka Josefa pro vědy, slovesnost a umění.